

TRACTATUS III.

DE III PRAECEPTO

S. Alf. lib. 3. H. A. tr. 6.

• Memento ut diem sabbati sanctifices...
non facies omne opus (servile) in eo •
Ex. xx. 8. 10; Lev. xxiii. 3. Deut. v. 12-15.

Hoc praeceptum respicit Dei *famulatum* per observationem *festorum*, qua praecipue cultus *publicus* exercetur, fidelesque multum sanctificantur; quare summi est momenti pro communi totius societatis bono.

Agendum est: 1° de sanctificatione festorum generatim; 2° de abstinentia a quibusdam operibus; 3° de auditione Missae.

CAPUT I.

SANCTIFICATIO FESTORUM GENERATIM

503. — *Natura praecepti.* Praeceptum hoc *naturale* est, quatenus dictat aliquod tempus soli divino cultui etiam publice tribuendum esse; oportet enim ut cuilibet rei necessariae deputetur aliquod tempus. *Positivum* et *caeremoniale* est, quatenus determinat *certum diem*, scilicet Sabbatum, et *modum* Deum colendi, nimirum per cessationem ab opere servili. Quum autem caeremonialia una cum Veteri Lege cessarint, et Christus Dominus nullius festi observationem instituerit, sed curam hanc Ecclesiae suae reliquerit, sequitur in Nova Lege hoc praeceptum tum quoad dies sanctificandos tum quoad modum sanctificandi eos *ecclesiasticum* esse. Inde consequitur, observantiam festorum ab Ecclesia mutari et in ea dispensari posse; quamvis non ita, ut nullus sit dies festivus cultui divino specialiter deputatus; Ecclesiae namque competit dumtaxat ius naturale hac in re *determinare*. (n. 263. 265.)

Aliqui docuerunt obligationem sanctificandi unum in quavis hebdomade diem et quidem diem dominicum loco Sabbati esse iuris *divini*: ita Sporer-Bierbaum. *tr.* 3. n. 484. Alii saltem id admittunt quoad obligationem sanctificandi unum diem in hebdomade: ita Schmid in *Linz. Quartalschr.* 1900. p. 12; *Zeitsch. für Kath. Theol.* 1901. p. 436; Tanquerey. II. n. 1011; Prümmer. II. n. 465. Eorum vero rationes non sunt tales, ob quas practice saltem non liceret stare doctrinae supra propositae. Cfr. *Zeitsch. für Kath. Theol.* 1913. p. 563. 709.

504. — *Dies de praecepto.* I. POTESTAS QUA REGUNTUR. Sola *suprema* auctoritas ecclesiastica potest dies festos, universae Ecclesiae *communes*,

constituere, transferre, abolere; et idem dicendum est de festis *particularibus*, habitualiter celebrandis; *Ordinarius loci* potest tantum *per modum actus* dioecesi suae diem festum indicere; insuper potest sollemnitatem exteriorum festorum Patronorum (quippe quae qua talia ecclesiastico praecepto non subiaceant) ad dominicam proxime sequentem transferre. Cfr. can. 1244. § 1 et 2, 1247. § 2; *Add. et Var. Miss. tit. 4. n. 3.*

II. DIES FESTI DE PRAECEPTO IN UNIVERSA ECCLESIA (latina utique) sunt tantum: *a)* omnes et singuli dies dominici; — *b)* quinque festa Domini: Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et S. mi Corporis Christi; — *c)* duo festa B. Mariae V.: Immaculatae Conceptionis et Assumptionis; — *d)* tria alia festa Sanctorum: S. Joseph Sponsi B. Mariae V., Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium denique Sanctorum. Ita ex can. 1247. § 1.

Notes: 1^o Urbanus VIII praeter dies dominicos, *triginta sex* festa instituerat, quibus Clemens XI *unum* adiunxit (Imm. Conceptionis B. M. V.). Sed huic catalogo iam multis indultis particularibus derogatum erat, donec Pius X Motu Proprio *Supremi disciplinae* 2 Iulii 1911 octo tantum festa retinuit, eadem nempe quae in Codice enumerantur, demptis festis Ss. Corporis Christi et S. Joseph.

2^o Festa quae in Codice non enumerantur ipso facto ipsaque lege nullibi sunt amplius de praecepto, etiamsi in aliqua natione, dioecesi aut loco antea fuerint de praecepto ex particulari lege vel consuetudine etiam centenaria loci, aut ex speciali concessione S. Sedis: hinc in iis diebus non amplius fideles urget duplex obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus. Ita ex C. Cod. Int. 17 Febr. 1918. (*A. A. S. X. p. 170.*)

3^o Siubi aliquod festum ex enumeratis iam ante Codicem promulgatum legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Apostolica Sede innovetur. Ita can. 1247. § 3. Hinc v. g. in Gallia et Belgio suppressa manent omnia festa de praecepto, exceptis quattuor: Nativitatis et Ascensionis Domini, Assumptionis B. Mariae Virginis et festum Omnium Sanctorum; in Liguria suppressum manet festum Circumcisionis (cfr. Cocchi, *i. h. c. n. 79.*). In Anglia octo tantum festa habentur: Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Ascensio, Corpus Domini, festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptio B. M. V., festum Omnium Sanctorum. In Hibernia festa Codicis habentur, excepto festo S. Josephi cui substituitur festum S. Patritii. In Scotia decem festa Codicis sunt de praecepto. In Statibus foederatis Americae Septentrionalis sex tantum festa habentur: Immaculata Conceptio, Nativitas Domini, Circumcisio, Ascensio Domini, Assumptio B. M. V., festum Omnium sanctorum; festum Ss. Petri et Pauli quoad sollemnitatem transfertur ad sequentem Dominicam.

Huc vero non spectat abolitio festorum Ss. Corporis Christi et S. Joseph, Motu Proprio *Supremi disciplinae* 2 Iulii 1911 a Pio X peracta; haec enim universam Ecclesiam, non loca particularia spectabat, sicut obtinet in can. 1247. § 3, ut patet ex verbo a quo incipit: *Siubi*; hinc ista festa per Codicem restituta sunt. — Cfr. etiam Vermeersch. III. n. 854.

4^o Etiam post editum Codicem numerus festorum in aliqua regione reduci potest, uti nunc pro tota Hollandia ad quattuor festa in Gallia et Belgio retenta restrictus est. Ita ex decr. S. C. C. 23 Ian. 1923. Cfr. Syn. Prov. Ultrai. 1924. p. 146. *nota a).*

III. COMPUTATIO DIEI. Dies festus in ordine ad praecepti observationem computatur a media nocte usque ad mediam noctem. Ita ex can. 1246. Dicimus: *in ordine ad praecepti observationem*; nam ab lucrandam indulgentiam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri potest a meridie diei praecedentis. Cfr. can. 923. — Tempus autem diei festi computandum est secundum communem loci usum. Pro debita Missae assistentia

sufficere videtur computatio secundum tempus aut locale aut legale, ad norma can. 33. § 1, vi cuius hoc tempus sufficit pro privata Missae celebratione; imo est qui hoc toti praecepto observandi festa applicet, uti Cocchi n. 77.

505. — **Obiectum praecepti.** Diebus festis de praecepto ab Ecclesia praecipitur: a) auditio Missae et b) abstinentia ab operibus servilibus, actibus forensibus et, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis aliisque publicis emptionibus et venditionibus. (can. 1248.)

Praeter haec Ecclesia stricte nihil aliud praecipit. Maxime tamen decet ut fideles *totum diem festum more christiano sanctificent* abstinendo sese ab immoderata frequentia ludorum atque spectaculorum, adeundo ecclesiam ad participandum cultui vespertino sive audiendo concionem aut explanationem doctrinae christianae (cfr. etiam can. 1348) sive assistendo vespersis solemnibus aut laudibus eucharisticis cum benedictione aut aliis functionibus religiosis. Curent itaque pastores animarum ut fideles enixe ad hoc exhortentur atque in istud omnibus viribus provideant, ut functiones liturgicae pomeridianae non solum digne ac decore persolvantur, sed etiam ut variis modis christifidelium pietatem suaviter alliciant. ¹⁾

506. — **Gravitas praecepti.** Utrumque hoc praeceptum obligat sub culpa mortali ex genere suo. Ratio est, quia utriusque materia ex se gravis est: ita est communis sensus Ecclesiae. Propterea Innoc. XI damnavit propositionem 52: « Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus. » (n. 268. 270.) ²⁾

CAPUT II.

CESSATIO A QUIBUSDAM OPERIBUS

Articulus I.

Opera prohibita.

507. — **Distinctio operum.** Opera, quae hoc praecepto prohibentur, sunt tantum externa et corporalia; non tamen omnia. Ad hoc explicandum, triplex genus operum distinguitur: 1° *Servilia*, quae utilitati corporis immediate inserviunt et ideo olim per servos fieri solebant, ut terram colere, artificia exercere. 2° *Liberalia*, quibus animus excolitur, et ideo olim a liberis exercebantur, ut legere, docere, canere, organa pulsare. 3° *Media* seu *communialia*, quae ab omnibus promiscue exercentur, ut iter agere, venari. (n. 272.)

Ex praefatis notionibus infertur, opus non ex eo evadere servile, quod propter mercedem vel lucrum vel cum magna fatigatione fit, nec contra

¹⁾ Pius XII Enc. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947. *A. A. S.* 1947. p. 575-576.

²⁾ Cfr. etiam Instr. S. C. Conc. 14 Iulii 1941. *A. A. S.* 1941. p. 389.

desinere tale esse ex eo, quod fit gratis vel recreationis causa; servilitas enim aut liberalitas ex solo *fine operis* dependet, non ex *fine operantis*. (n. 278.) — Interdum autem difficile est diiudicatu, utrum aliquod opus ad servilia pertineat necne; qua in re multum attendendum est *ad aestimationem communem*, quae in variis regionibus diversa esse potest.

Fuerunt DD. qui dixerint omne opus esse formaliter saltem servile, quoties fit propter lucrum; secus esset ad summum materialiter servile, sed formaliter esset liberum indeque licitum. Sunt etiam aliqui DD. moderni qui saltem pro operibus dubiis talem doctrinam admittunt, imo putant utile fore, si ea magis universaliter applicaretur ut omnis formalismus excludatur eaque opera quae nunc ad summum per modum excusationis seu epikeiae permittuntur, iam ex se fiant licita; et vice versa. ¹⁾ At certe immerito finis operantis tamquam unicum hac in re criterium proponitur. Nimis enim clare opera liberalia et communia quae vocantur, ex quocumque fine fiant, a Codice generatim non vetantur. Prohibendo enim praeter opera servilia solummodo actus forenses et publicas emptiones venditiones, legislator clare manifestat se de cetero nolle prohibere alia illa opera quae in oppositione ad servilia hodiedum universim tamquam liberalia vel communia habentur, ex quocumque fine fiant; quamvis attento fine legis per se parum laudabile sit per totum diem solius lucri causa huiusmodi operibus vacare. Ecclesia autem vel ideo ea nec pro eo casu prohibuisse videtur quia, etiamsi lucri causa fiant, tamen publicam quietem dominicalem parum vel nihil perturbant, prout obtinet in actibus forensibus et publicis emptionibus venditionibus. Opera vero servilia, quum indiscriminatim prohibeantur, attento fine legis intelligenda certo videntur non tantum ea quae lucri causa fiunt, verum etiam ea quae, etsi recreationis causa fiant, ob suam indolem quietem dominicalem publicam facile perturbant vel etiam ipsum operantem a tali quiete nimis distrahunt, uti facile obtinet, si quis serio et diu propriae consuetae professioni manuali vel mechanicae vacat. Alia vero opera corporalia praesertim leviora si moderate recreationis causa fiunt, iam facilius tolerari posse videntur, idque saltem ex epikeia quadam, quamdiu scil. non ipsa consuetudine legitimata erunt. ²⁾

508. — Principia. I. *Diebus festis prohibentur OPERA SERVILIA*. (can. 1248.) Cum autem hoc praeceptum iuxta can. 6. 2^o aestimandum sit ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, non prohibentur opera servilia quotidie necessaria ad victum atque compositionem corporis et domus, ut coquere cibos, sternere lectos, domum aut vestes purgare, utensilia culinaria lavare et similia. (n. 298.)

Pro materia gravi contra hoc praeceptum alii assignant unam horam, sed hoc est nimis rigidum; alii tres horas, et hoc est nimis laxum. Communius opinantur et probabiliter, materiam gravem esse spatium duarum horarum circiter, ita ut procul dubio mortale foret laborare per duas horas cum dimidia. (n. 305. H. A. n. 25.)

II. *Nulla prohibentur OPERA LIBERALIA ET COMMUNIA, praeter ea quae in iure specialiter vetantur*. Sunt autem duo genera actionum non servilium speciali iure prohibita: 1^o *Actus forenses*, qui ad forum iudiciale spectant,

¹⁾ Cfr. Berte. *A propos des oeuvres serviles*, apud *Nouv. Rev. théol.* 1936. p. 32.

²⁾ Cfr. *N. K. S.* 1940. p. 289 et *Studia catholica* 1941. p. 345, quae favent, *Studia catholica* 1941. p. 145 et 354 quae adversantur influxui finis operantis, etiam tamquam iuri constituendo.

sive civile sive ecclesiasticum (cfr. can. 1639. § 1.); in hisce autem actibus gravitas peccati non tam a quantitate, quam a qualitate operis dimetienda est. (n. 306.)

2° Nisi aliud ferant legitimæ consuetudines aut peculiaris indulta, *publicus mercatus, nundinae, aliaque publicae emptiones et venditiones*. Constat ex can. 1248; et ratio est nimia distractio, quam secum afferunt, unde quietem et vacationem in die festo intentam maxime impedirent. (n. 284. 285.)

509. — Resoluciones. 1° Prohibentur in die festo opera *ruralia*, ut arare, fodere, serere, metere, vineas colere, etc. Item opera *artium mechanicarum*, v. g. artis caementariae, ferrariae, lignariae, sartoriae, sutoriae, textoriae, sculptoriae, typographicae, etc. In *typographia* excipiunt typorum compositionem; quia transcriptioni similis est (n. 272. 279. 281.); verumtamen ex communi fidelium aestimatione opus servile habetur. In *sculptura* similiter excipiunt ultimam operis perfectionem.

Pari modo vetitum est *molere*; attamen, quando cooperatio hominis modica est, probabiliter non est illicitum, saltem non graviter. (n. 277.)

2° Neque liciti sunt *leves labores*, ut decorticare poma, conficere rosaria, scapularia, imagines cereas, flores artificiales, etc. Verumtamen in hisce operibus maius temporis spatium requiritur, ut committatur culpa gravis, et consuetudo recepta, maxime si otii vitandi causa fiant, excusare potest. (n. 282.)

3° Opera servilia non sunt *scribere*, etiam ope machinae, transcribere et delineare. Pariter, itinerari pedibus, equo, curru, navi; quia est opus commune; qua de causa licet quoque equos parare, currum iungere, remigare, cum accessorium sequatur principale. (n. 275. 278. 279.)

4° *Pingere*, modo fiat sola actio pingendi, non autem colores conterendi et miscendi etc., probabiliter non est opus servile, quia convenit cum scriptura; sicut enim scriptura conceptus mentis, ita pictura rerum imagines exprimit. (n. 280.) — Idem dicendum de *photographia*, quatenus non nimius labor praequiratur uti sic dictam imaginem *negativam* sumendo. Cfr. Marc. n. 661; Bernardi. *Prax. Conf.* ² n. 372.

Neque *ars acu pingendi* opus servile videtur; sed acu texere iis annumeratur.

5° Vetitus est *mercatus publicus*, et in officinis publicis; quare mercatores officinas suas claudere debent, nisi contraria vigeat legitima consuetudo. Permittitur tamen vendere et emere res ad usum quotidianum pertinentes, puta res ad victum cultumque necessarias. Excusantur quoque mercatores, qui ianuis clausis quaedam vendunt cum emptores per id temporis iis valde indigent. (n. 286. H. A. n. 13.)

6° Non prohibentur *privati* contractus venditionis, locationis etc., quia canon 1248 *publicas* emptiones tantum prohibet. Acta etiam notariorum licita videntur, quia, etsi sunt authentica, tamen privata manent.

510. — Quaestiones. QUAE. 1° *An venatio, aucupium et piscatio sint opera vetita diebus festis.*

Resp. Adest duplex sententia. *Prima* affirmat: quia sunt opera corporalia, laboriosa, quae tendunt tantum ad effectum corporalem; proinde servilia.

Secunda probabilior et communior negat, modo fiant sine magno labore; quia hoc modo videntur opera communia, aut saltem communiter sic aestimantur. — Cum magno labore non licent; tunc enim opera certo servilia sunt. (n. 283.)

QUAER. 2^o *An peccet graviter, qui die festo mandat pluribus famulis, ut laborent per horam.*

Resp. Probabilius et longe communius negatur; quia opera famulorum non coalescunt; proin singuli tantum venialiter peccant; nequit autem dominus peccare magis quam ipsi famuli, quos ad opus inducit. Verumtamen si herus non semel et iterum sed frequenter id ageret, ob scandalum vix excusaretur a gravi culpa; cum ex hoc agendi modo consuetudo laborandi diebus festis facile introduceretur. — Certe denique peccaret graviter, si uno famulo mandaret pluries in die laborare per modicum tempus, ita ut coalesceret in materiam gravem. (n. 306.)

Articulus II.

Causae excusantes opera prohibita.

Reducuntur ad quatuor, quae sunt: 1^o dispensatio; 2^o consuetudo; 3^o pietas in Deum; 4^o necessitas propria vel aliena.

§ I. - DISPENSATIO.

511. — I. *Ordinarii locorum*, et etiam *parochi*, possunt iusta de causa in casibus singularibus subiectos sibi singulos fideles singulasve familias etiam extra territorium a lege communi de observantia festorum dispensare. (can. 1245. § 1.) — In territorio idem valent quoad peregrinos (can. 1245. § 1.); et quoad vagos, quando actu in territorio commorantur. (can. 94. § 2; supra n. 194.)

Potestas haec videtur posse delegari, etiam habitualiter. (Cfr. can. 199; infra tom. II. n. 777. qu. 3.) — Integra paroecia vel etiam eius pars vi huius potestatis dispensari nequit; attamen Ordinarius loci hoc facere potest *vi can. 81*, si difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni. Insuper accidere potest quod parochus in certis adiunctis merito *declaret* adesse pro tota paroecia casum necessitatis iuxta dicenda in § 4. — Dispensatus uti potest dispensatione etiam extra territorium suum; imo etiam peregrinus dispensatus a parochi territorii quod pertransiit dispensatione extra illud uti posse videtur. — Dispensatio dari tantum potest in casibus singularibus; quod non impedit quominus dispensatio detur cum tractu successivo; modo causa moraliter perseveret. Cfr. *N. K. S.* 1920. p. 184; *N. E. Théol.* 1924. p. 48. — Notes de-
mum rectorem *Seminarii pro omnibus qui in Seminario sunt* parochi officium obire, modo in can. 1368 determinato; indeque cum iis omnibus eodem modo quo parochum dispensare posse.

II. *Superiores* in religione clericali exempta eandem dispensandi potestatem habent ad modum parochi quoad religiosos professos, novitios, aliosve in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis. (can. 1245. § 3.)

§ II. - CONSUETUDO.

512. — **Praenotandum.** 1^o Quum dierum festorum observatio in Nova Lege sit iuris ecclesiastici, potest per consuetudinem illi in aliqua parte, ad normam tamen Codicis, derogari. Codex autem omnes consuetudines antea existentes et sibi contrarias abolevit, nisi essent centenariae et immemorabiles, aut ipse Codex expresse aliud caveat. (can. 5.) Novae autem consuetudines generatim oriri possunt, si sint rationabiles et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescriptae. Cfr. can. 27. § 1.

2^o Nihilominus, ut sapienter animadvertit Suarez, consuetudines circa opera prohibita, quoad fieri potest, coarctandae sunt, ita ut nec introducantur ubi non sunt nec extendantur ubi sunt; quia consuetudo relaxans disciplinam odiosa est et facile crescit, nisi populus sollicitudine Pastorum in officio contineatur. (Suarez. *De relig. tr. 2. lib. 2. cap. 29. n. 4. et cap. 33. n. 14.*)

3^o Ultra demum notandum est, in dubio de consuetudine possidere praeceptum, et necessariam esse dispensationem. (n. 290.)

513. — **Regulae.** I. *Abolitae* sunt consuetudines ante Codicem existentes circa *opera servilia* et *actus forenses*; nisi tamen sint centenariae et immemorabiles, quae tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse. Cfr. can. 5. Consuetudines autem contra hanc legem facile immemorabiles erunt.

II. *Remanserunt* consuetudines legitimae, ante Codicem existentes, circa *publicos mercatores, nundinas, aliasque publicas emptiones et venditiones*. Sequitur ex can. 1248. coll. can. 5.

III. Post Codicem editum novae consuetudines legitimae oriri possunt circa *quaevis* opera, etiam servilia, et circa *actus forenses*, dummodo sint rationabiles et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescriptae. Cfr. can. 27; supra n. 207. *sequ.*

Resolutiones. 1^o Consuetudine, ubi legitima est: permittitur irrigare olera, vertere aut separare segetes in area; ducere naves, vehicula, vel animalia mercibus onusta; condire cibos ad delectationem destinatos, seu cupedia.

2^o Permittitur tonsoribus barbam tondere; hoc in casu saepe etiam aderit ratio necessitatis, quia rustici et operarii aliis diebus accedere non possunt. (n. 276. 289. 298.)

3^o Eadem ratione licet servitium vehiculorum viae ferreae, non modo ad itinerantes, sed etiam ad merces vehendas, et quidquid ad hoc servitium necessarium est; quamvis optandum sane sit, ut mercium currus festis diebus non advehantur, ut Dominici dies ab aliis, prout decet, secernantur.

§ III. - PIETAS.

514. — Non prohibentur in die festo opera servilia quae *proxime* pertinent ad cultum Dei; quia talis prohibitio contraria esset fini praecepti. Unde Christus dixit apud Matth. XII. 5: « An non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt? »

Licet itaque pulsare campanas, insufflare organis, ornare altaria et ecclesiam et similia. (n. 291.)

515. — **QUAER.** 1° *An liceat in die festo templum verrere, illud tapetis ornare, hostias coquere, tabulata ad festivitatem necessaria erigere et similia.*

Resp. Plures dicunt esse veniale, si possint haec opera die praecedenti expediri. Sed sententia probabilis asserit ea esse absolute licita; tum ex consuetudine, ubi haec datur, tum quia haec opera *proxime* conferunt ad cultum divinum. Conficere autem tabulata ad processionem videndam non licet, nisi aliud tempus non suppetat. (n. 292. H. A. n. 16.)

QUAER. 2° *An liceat in festo agros Ecclesiae gratis colere, ligna et lapides ad ecclesiae aedificationem vehere aut caedere, partem aliquam templi aedificare, dealbare eius parietes, ornamenta ecclesiae conficere et similia.*

Resp. Sunt qui affirmant. Ast certo probabilior est communis sententia negans, nisi iam urgeat necessitas, aut adsit dispensatio; quia talia opera ex se sunt servilia, et nonnisi *remote* conferunt ad cultum divinum. Ceterum non videtur improbandum, paramenta et ornamenta necessaria pro ecclesia indigente gratis conficere. (n. 293.)

§ IV. - NECESSITAS.

Quandoquidem leges Ecclesiae non obligant cum gravi detrimento, ab hoc praecepto excusat *necessitas, sive propria sive aliena, sive privata sive publica.*

516. — I. *Necessitas propria.* Ex qua causa excusantur: 1° Famuli, qui ab heris laborare coguntur, nec facile aut brevi alium herum invenire possunt. Excipe casum, quo coactio data opera fieret in contemptum religionis. Idem dic de filiis aut uxoribus, si timeant grave damnum aut gravem indignationem patris vel mariti. (n. 296. H. A. n. 18.)

2° Pauperes, qui, nisi laborent, non possunt se suamque familiam sustentare; modo secreto id faciant, ad scandalum vitandum. Pariter, vestes proprias vel familiae suae resarcientes, cum id aliis diebus non possunt. (n. 297.) Hac ratione excusantur similiter operarii, qui per totam hebdomadam extra domum laborare solent, si die Dominica aliquam domus suae reparationem perficiunt aut proprium hortulum colunt.

3° Agricolae qui propter praeteritam vel imminentem pluviam laborant, ut foenum aut segetes congregando et invehendo tutentur. (H. A. n. 21.)

4° Laborantes in conflatoriis vitri, ferri et similibus, in quibus fornax semel succensa sine notabili damno extinguere non potest. (n. 300.)

5° Rustici, qui in urbe sibi necessaria emunt, ut vestes, pileos etc., quia ob continuum laborem nonnisi diebus festis urbem frequentant.

517. — II. *Necessitas proximi.* Propter hanc excusantur: 1° Chirurghi, pharmacopolae et alii, necessaria aegrotis ministrantes.

2° Sartores, qui conficiunt vestes necessarias nuptiis, funeribus et similibus, si diebus profestis illas expedire non potuerint. Ad conficiendas alias vestes, etsi promissas, laborare non licet, nisi sartores alias essent grave detrimentum passuri. Idem valet pro sutoribus. (n. 303.)

Nequaquam tamen excusandi, sed redarguendi sunt, qui saepius, praetextu necessitatis, post mediam noctem in multum diem festum laborant, quia ple-

rumque illa necessitas ipsis voluntaria est, plura opera *scienter* suscipiendo quam perficere valent, non conducendo numerum necessarium operariorum, vel intra hebdomadam tempus perdendo. Aliter tamen dicendum, si quandoque in vigilia festi opus aliquod resarcire rogantur, quo clientes in die festo indigent. (Gury. n. 360.)

3^o Fabri ferrarii, qui calceant equos itinerantium, vel eorum, qui sequenti die summo mane iter sunt acturi aut in agrum ad laborandum egressuri; item, si currus casu fractos reficiunt, vel vomeres agricolarum, qui alias die sequenti laborare nequirent. (n. 300.)

4^o Opera misericordiae, quamvis servilia, in subsidium pauperum, quando illis iam graviter indigent, v. g. illis vestes consuere, ignis alimenta advehere. (n. 293.)

518. — III. Necessitas publica. Unde excusantur: 1^o Reficientes pontes, vias, fontes et alia, quae sunt usus publici, quando sine magno incommodo publico non potest remedium differri. Similiter qui incendio succurrunt, aut inundantibus aquis aggeres opponunt. (n. 300.)

2^o Laniones, qui animalia occidunt et excoriant, sicubi ob aestum pridie non potuerit fieri. (n. 298.)

3^o Pistores panem conficientes, sive ob consuetudinem, sive ob populi necessitatem, v. g. si panes conficiunt diebus festis, ut sequenti die vendant, quia vel antea non potuit sufficiens copia parari vel panis ante paratus non esset satis aptus. — Aliis autem, qui pistores non sunt, non licet in festo panem conficere, nisi plura festa concurrant, et panis antea coctus minus aptus reddatur, aut si necessarius sit illo die. (n. 298. 299. H. A. n. 20.)

4^o Qui ob publicam laetitiae vel splendoris causam, puta ob victoriam, ob adventum vel natalem Principis, conficiunt vestes, publica artificia, tabulata, theatra, et similia, eaque ornant; dummodo talia opera in diebus profestis praeveniri nequiverint. Ratio, quia huiusmodi signa laetitiae sunt reipublicae moraliter necessaria. (n. 304.)

519. — Quaestiones. QUAER. 1^o *An iactura magni lucri possit causa excusans esse.*

Resp. Non pauci negant; quia non facere lucrum non est damnum pati; unusquisque autem ius habet damnum avertendi a bonis suis, non vero lucrum faciendi in festo.

Sed multi alii probabiliter affirmant, respectu eorum qui laboribus se sustentant, si lucrum pro laborantis conditione extraordinarium sit. Ratio est quia tales homines raras habent occasiones magni lucri acquirendi, et illis tale lucrum cessans gravi damno aequiparatur. Hinc saltem concludi potest, praecceptum festi non obligare cum tanto incommodo. (n. 301. 332. H. A. n. 22. 43.)

QUAER. 2^o *An excuset ratio otii vitandi.*

Resp. Plures affirmant, quando otium induceret proximum periculum peccandi; cum tunc adsit periculum gravis damni spiritualis. Haec sententia tum solum approbatur, cum aliqua urgeret tentatio, quae non nisi laborando vinci posset; quod raro evenit. (n. 302.)

Facile tamen tolerari possent opera levia domi peracta, puta florum artificialium confectio, ne v. g. puella divertat ad societatem plus minusve periculosam.

Nota etiam monitum Suarezii: «(Opus minus servile) excusari potest ex quodam colorato titulo *moralis necessitatis*: quia non potest homo, praesertim saecularis et ad id non assuetus, toto die integro lectioni vel orationi vacare; et ideo ne sit otiosus vel actionibus minus honestis occupetur, indiget, moraliter loquendo, aliqua huiusmodi operatione, et ideo potest illa operatio modica rationabiliter permitti, tamquam medium ad sublevandam naturam sine culpabili otio.» (*De Religione. Tr. 2. l. 2. c. 26. n. 5.*)

Nota pro praxi. Si causa excusans sit manifesta, non opus est dispensationem petere; secus vero, si causa dubia sit. Ceterum, valde suadendum est fidelibus, ut in casibus publicis regulariter licentiam petant a parcho; in casibus privatis consulant saltem confessarium, si fieri possit, ne sibi fucum faciant aut scandalum praebeant.

CAPUT III.

AUDITIO MISSAE

Articulus I.

Obligatio audiendi Missam.

520. — *Materia* huius praecepti est, ut Missa integra audiatur, a principio usque ad finem. *Actus*, quo praeceptum implendum est, exposcit ut corpore quis praesens sit Sacrificio, Missam cum attentione audiat, atque legi satisfaciat in loco debito. Haec omnia singulatim explicanda sunt.

§ I. - AUDITIO MISSAE INTEGRAE.

521. — *Principium. Debent fideles non soli substantiae Sacrificii assistere, verum TOTI MISSAE, prout in Ecclesia celebratur*, i. e. ab initio usque ad benedictionem sacerdotis inclusive. Evangelium S. Joannis non videtur ad integritatem Missae pertinere. Ita constat ex communi sensu et consuetudine totius Ecclesiae. — Non autem refert quonam ritu Missa celebretur, modo ritus catholicus sit. Cfr. can. 1249.

Ex hoc principio sequitur, voluntariam omissionem alicuius partis Missae esse peccatum; veniale quidem, si est pars exigua, mortale vero, si notabilis est. Gravitas autem materiae non solum ex *quantitate* partis omissae, sed imprimis ex eiusdem *dignitate*, seu propinquitate ad substantiam Sacrificii desumenda est. Porro:

a) *Ex quantitate partis materia levis aestimantur*: 1° Ea, quae praecedunt Evangelium, dummodo Missa reliqua usque ad finem audiatur; sic docet sententia probabilior et communior. Complures et graves Doctores probabiliter hoc extendunt usque ad Offertorium exclusive. 2° Ea, quae sequuntur Communionem sacerdotis; imo etiam omnia, quae praecedunt Epistolam, una cum iis, quae Communionem subsequuntur. (n. 310.)

b) *Ex dignitate partis materia gravis censetur: 1° Omissio Canonis post Consecrationem usque ad Pater noster exclusive. 2° Omissio Consecrationis et Communionis simul; cum sine illis essentia et integritas Sacrificii non subsistant. Imo omittere alterutram merito grave censetur; qui enim vel essentiae vel integritati Sacrificii non assistit, censi non debet levem Sacrificii partem omisisse. (n. 310. H. A. n. 33. Confess. direct. cap. 6. n. 6.)*

522. — Quaestiones. **QUAER.** 1° *An ille qui venerit ante Consecrationem vel post eam, nec possit alteri Missae interesse, teneatur illam reliquam partem audire.*

Resp. Si veniat ante Consecrationem, omnino affirmandum; quia remanent ea omnia, in quibus consistit Sacrificium.

Si post Consecrationem adveniat, quidam negant, quia parti essentiali Sacrificii non adfuit. Sed oppositum tenendum est, ob rationem aliunde petitam, nempe quia Ecclesia praecipit integrae Missae caeremoniae assistere; unde qui non potest totum praeceptum, tenetur saltem partem quam potest implere. Ita Croix. n. 668; Roncag. cap. 2. qu. 3; Prümmer. II. n. 479; et alii. (n. 310.)

Ob eandem rationem ille qui partem notabilem Missae omisit, certo tenetur defectum supplere in alia Missa, si possit. Ratio est, quia tenetur Missam integram audire; consequenter qui ex parte nondum implevit praeceptum, tenetur integre implere. (n. 310.)

QUAER. 2° *An satisfaciat praecepto, qui audit duas dimidias Missas a duobus sacerdotibus.*

Resp. Dist. Negat., si eas audit simul, dum v. g. in uno altari Missa inchoatur, et in alio altera continuatur a Consecratione. Ratio, quia est contra mentem Ecclesiae; quam ob causam Innoc. XI damnavit propositionem 53: « Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit. »

Si successive eas audit, *subdist.: a) negat.,* longe probabilius, si Consecratio et Communio non sunt in eadem Missa, quia tunc illae partes nequeunt constituere unum integrum Sacrificium; *b) affirm.* probabiliter, si in eadem dimidia Missa reperiuntur, quia tunc assistit perfecto Sacrificio et integrae Missae. (n. 311. H. A. n. 44.)

§ II. - PRAESENTIA CORPORIS.

523. — **Principium.** *Requiritur MORALIS PRAESENTIA CORPORIS in loco, in quo Missa celebratur: ita ut quis uniatur cum sacerdote celebrante, sive directe eum videndo vel audiendo, sive indirecte iungendo se turbae assistentium.*

Hinc satisfacere censetur: 1° **INTRA ECCLESIAM**, qui assistit in choro post altare, etsi non cernat sacerdotem, dummodo ex signis aliorum assistentium, ex sonitu campanulae etc. advertere possit, quid a celebrante agatur; item post columnam, modo audiens uniatur aliis assistentibus; imo quoque in aliqua cappella magnae basilicae procul distante ab altari, si modo possit videre celebrantem et quid agat.

2° **EXTRA ECCLESIAM**, qui assistit ad fenestram quae praebet conspectum in templum, vel in sacristia contigua cum ianua aperta, quamvis sacerdotem non

videat, dummodo eum audiat vel saltem per alios advertat quid fiat; imo etiam *sub dio* contiguit, quando ecclesiam ob turbam intrare nequit, modo iunctus sit multitudini quae est intra ecclesiam. (n. 312.)

Non satisfacere censetur, qui audit *radiophonicam* Missae *diffusionem*. Est enim manifesto contra mentem Ecclesiae quae praescribendo auditionem Missae assistentiam intendit, attentam praxi communi et legis finibus: est enim Missa actus cultus, a communitate religiosa socialiter peractus. Ceterum radiophonice Missa non naturaliter sed artificialiter auditur, mediante sc. transmissione mechanica.

§ III. - ATTENTIO MENTIS.

524. — Praenotanda. 1° *Attentio* de qua hic agitur bene distinguenda est ab *intentione*. *Attentio* est actus *intellectus*, *intentione* actus *voluntatis*. *Intentio* satisfaciendi *praecepto* audiendi Missam necessaria non est (cfr. supra n. 167.); sed tamen requiritur *intentio assistendi Missae* ut rei sacrae; secus enim assistentia non est actus humanus et religiosus, prout requiritur.

2° Duplex distinguitur *attentio* ad Missam: 1° *interna*, quae consistit in applicatione mentis vel ad verba et actiones celebrantis ut ad res sacras, vel ad mysteria Sacrificii et praesertim ad Passionem et Mortem Christi, vel ad Deum generaliter per preces, meditationes et pios affectus; 2° *externa*, cum non ponitur actio insociabilis cum *attentio* interna, sed assistens attestari potest de gestis in Sacrificio; cuiusmodi actio insociabilis est v. g. confabulari, dormire. (n. 313. *Lib. 4. n. 176.*)

Hinc *distractio* seu mentis avocatio duplex quoque est, *interna* scilicet et *externa*. Utraque potest esse vel *levis* vel *notabilis* vel *plena*, prout minus vel magis vel totaliter mens alias res attendit. Plenam distractionem secum ferre solet meditatio scientifica, computatio, seria mentis applicatio ad negotium temporale, puta ad laborum coordinationem, negotiorum incepta. *Plenae distractiones internae aequivalent externis*; ambae enim aequaliter impediunt, quominus quis testari possit de gestis in Missa.

525. — Principia. I. *Attentio* EXTERNA ex *praecepto Ecclesiae* certo *requiritur*: secus enim praesentia non esset humana et religiosa.

II. *Attentio* INTERNA aliqua certo *requiritur* EX VIRTUTE RELIGIONIS; eam enim exposcit reverentia quam Deo debemus, dum eum colimus. *Disputatur autem an interna attentio requiratur ad IMPLENDUM PRAECEPTUM ECCLESIAE*. Sententia probabilior affirmat; at probabilis quoque est sententia quae negat. Stante hoc stricto dubio non *requiritur*.

Ratio prioris sententiae est, quia *attentio* mentis est forma interna cultus externi: unde, praecipiendo cultum Dei, Ecclesia indirecte iubet *attentionem* internam. Sufficit autem: 1° *attentio* ad partes principales Missae, maxime ad Consecrationem et Communionem; 2° *attentio* remissa, seu potius voluntas attendendi, ita ut quis non voluntarie mente vagetur. Idcirco fideles, qui cum

debita intentione colendi Deum Missae interfuerint, anxii esse non debent de non impleto praecepto.

Rationes alterius sententiae sunt: 1° attentio mentis non est forma essentialis cultus externi; alias etiam involuntaria distractio illum destrueret, cum forma interna actus non pendeat a voluntate, sed a veritate rei; ergo attentio mentis non praecipitur. 2° Ad Missam audiendam opus non est orare, sed tantum intendere Deum colere; atqui attentio interna non est de substantia orationis liturgicae, uti probabimus infra n. 1126; ergo multo minus de auditione Missae. — Atvero, si vagatio mentis *plena* seu adeo intensa sit, ut assistens testari non possit de gestis in Missa, tunc satisfactionem praecepto debitam impedit; quia haud secus ac somnus *omnem* tollit attentionem.

Ex dictis colligitur primam sententiam esse legem dubiam; lex autem dubia non obligat. (n. 313. *Lib.* 4. n. 177. *H. A.* n. 28.)

Nota. Quo maiore tamen devotione ac fructu fideles S. Missae assistant, clare instruantur oportet quod iis summo officio et summae dignitati sit Eucharisticum participare Sacrificium, tam impense et actuose ut cum Summo Sacerdote arctissime coniungantur. Revera enim fideles per sacramentum Baptismatis in Corpore Christi mystico membra effecti Christi Sacerdotis et per characterem ad cultum divinum deputati, active participant in hoc supremo Sacrificio; non eo modo quidem ut hierarchico sacerdotio praediti per sacerdotem quasi ipsorum delegatum ipsam cruentam *immolationem* perficiant qua Christus in statu victimae super altare praesens redditur, sed ita ut *oblacioni* huius Victimae Deo Patri participant, non tantum per sacerdotis manus sed etiam una cum ipso quodammodo sacrificium offerentes.¹⁾ Ut autem oblatio illa plenum sortiatur effectum non restringenda tantummodo est ad devotam assistentiam Sacrificii liturgici sed extendenda ad totam vitam quotidianam, ita ut una cum Immaculata Hostia exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. (Rom. 12, 1.) Ut istae veritates fidelibus clarius et vividius innotescant atque illi in S. Missae maiore devotione et fructu assistendo magis adiuventur, perutiliter doceantur circa usum Missalis Romani atque admittantur atque impellantur ad magis activam participationem, secundum normas ab ecclesiastica auctoritate impertitas et locorum et temporum circumstantias, sive sacerdotis verbis respondendo (Missa dialogata) sive cantando varias Missae partes aut cantus cum istis congruentes.²⁾

526. — *Resolutiones. I. Satisfaciunt:* 1° Qui intra Missam conscientiam suam examinat, ut confiteatur; librum spiritualem legit, nisi ex fine profano legeret; qui Horas Canonicas recitat; poenitentiam persolvit et similia. (n. 309.)

2° Inservientes Missae, dum brevi mora recedunt e templo, ut vinum, thus aut similia ad Missam necessaria afferant. (n. 309.)

3° Cantores, organoedi et similes, si simul ad Missam attendant; quia musica etiam ad Dei cultum refertur. (n. 317.)

4° Colligentes eleemosynas, modo simul ad Missam attendant; quia talis distractio non videtur esse insociabilis cum attentione. (n. 317.)

¹⁾ Cfr. S. Tromp. *Quo sensu in Sacrificio Missae offerat Ecclesia, offerent fideles.* in *Period.* 1941. p. 265-273. Idem in *Period.* 1942. p. 345-351.

²⁾ Ita Pius XII *Encycl. Mediator Dei.* 20 Nov. 1947. *A. A. S.* 1947. p. 552-562. Cfr. etiam *Tom. I.* n. 409-411; *II.* n. 135 Scholion; 165. II; 260 IV. 4°. Deinde *Instructio S. C. Conc. 14 Iulii 1941.* (*A. A. S.* 1941. p. 339).

5^o Dormitans, si somnolentia est interrupta et tam tenuis, ut relinquat aliquam attentionem ad Missam; saltem graviter non delinquit. (n. 316. H. A. n. 32.)

II. *Non satisfaciunt*: 1^o Qui ebrius assistit, vel qui dormit sub Missa. (n. 321.)

2^o Qui per notabilem partem Missae confabulantur, lustrant imagines aut apparatus templi, profana legunt, pingunt aut alia similia peragunt, quae attentionem tollunt. (n. 317.)

3^o Accedentes ad ecclesiam unice ad audiendam musicam, spectandam caeremoniam, sine animo audiendi Missam. Secus, si simul intendunt Sacrum audire et illi attente adsunt.

527. — *Quaestio. An satisfaciat praecepto, qui tempore Missae peccata confitetur.*

Resp. Plures affirmant, si poenitens aliquantum attendat simul ad Missam; quia est moraliter praesens, et exercet actum pium ac religiosum.

Verum negandum est cum communi sententia; quia Confessio est distractio externa a Missa, quae non solum attentionem internam, sed et externam impedit. Excipe tamen, si Confessio brevis et facilis esset. Ita Lugo *disp.* 22. n. 22.

Excusantur tamen: 1^o illi, qui aliter deberent aliquamdiu permanere in statu peccati mortalis; 2^o famuli aliive, quibus nullum aliud tempus vacet ad confitendum; nam pro istis praesumitur Ecclesiae indulgentia. (n. 314. 332. H. A. n. 31. *Vind. Alph. part. 3. qu. 11.*)

Ceterum, ut censeo, confessarius ordinarie non tenetur hac de re inquirere, cum in praxi res non videatur esse tanti momenti.

§ IV. - LOCUS DEBITUS.

528. — *Principium. Legi de audiendo Sacro satisfacit qui Missae adest celebratae sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico et in privatis coemeteriorum aediculis (de quibus in can. 1190); non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit.* Ita canon 1249, vi cuius ergo quinque sunt loca ad satisfaciendum praecepto *per se* admissa; alia non nisi *per accidens* ex privilegio admittuntur. Singula explicanda sunt.

Dicitur: 1^o SUB DIO. Sub dio celebrari potest tantum aut ex privilegio aut ex necessitate, ut si ecclesia diruta est.¹⁾ — Eo ipso autem quod quis gaudet privilegio altaris portatilis, per se nondum habet privilegium sub dio celebrandi. (Cfr. Vermeersch. III. n. 345.) — Quoties autem sub dio celebratur, qui assistit praecepto satisfacit.

Dicitur: 2^o IN QUACUMQUE ECCLESIA. Ecclesia autem est aedes sacra cultui dedicata eum potissimum in finem, ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum. (can. 1161.)

Dicitur in *quacumque* ecclesia; non est ergo obligatio audiendi Sacri in ecclesia paroecciali, quamvis fideles monendi sint ut frequenter, ubi commode id

¹⁾ Cfr. tom. II. n. 231. Cfr. etiam *S. C. de disc. Sac.* 25 Iulii 1924. (*A. A. S.* XVI. p. 370). - Videtur practice praecepto satisfieri posse, etiam si non sub dio, sed in alio decenti loco ad normam can. 822. § 4 celebratio Missae permittitur, idque attento iure veteri, novo non contradicente. Ita Bouscaeren in *Period.* 1939. p. 52.

feri possit, ad suas parociales ecclesias accedant, ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant. (can. 467. § 2.)

Dicitur: 3^o VEL ORATORIO PUBLICO. Oratorium autem publicum habetur, si praecipue erectum sit in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinatorum officiorum, ius sit legitime comprobatum illud adeundi. (can. 1188. § 2.) Hinc publicum est etiam oratorium quod locum fixum in navi habet, ut declaravit S. Rit. C. 4 Mart. 1901. (n. 4069. ad 5.)

Dicitur: 4^o AUT SEMI-PUBLICO. Hoc habetur, si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire. (can. 1188. § 2.)

Oratoriis semi-publicis annumeranda videntur oratoria minora, praeter oratorium principale iuxta iudicium Ordinarii erecta in domibus religiosis, in collegiis aut convictibus inventuenda, in gymnasiis, lyceis, arcibus, praesidiis militum, carceribus, xenodochiis, etc. (cfr. can. 1192. § 4.) — Etiam oratoria in grangiis seu villis religiosorum erecta sub nomine oratorii semi-publici venire videntur. Cfr. Vermeersch. *Epit. Iuris Can.* II. n. 498. — Itaque, practice saltem, in omnibus oratoriis enumeratis etiam ab omnibus satisfieri potest praecepto de sacro audiendo, donec aliter a Sancta Sede decisum fuerit. Pro oratoriis minoribus regularium insuper privilegia saepe idem diserte statuunt.

Dicitur: 5^o ET IN PRIVATIS COEMETERIORUM AEDICULIS; de quibus in can. 1190, in quo canone dicitur aediculas in coemeterio a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectas esse oratoria *privata*. Hoc non obstante quivis fidelis ibi praecepto satisfacit, si Missa ibi celebratur.

Dicitur: 6^o NON VERO IN ALIIS ORATORIIS PRIVATIS, NISI HOC PRIVILEGIUM A SEDE APOSTOLICA CONCESSUM FUERIT. Oratorium est *privatum* seu *domesticum*, si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit. (can. 1188. § 2. Cfr. *tom. II. n. 234.*) In hisce ergo (seclusis aediculis coemeteriorum de quibus supra) et in genere in quibusvis aliis locis praecepto audiendi Missam satisfieri non potest NISI EX PRIVILEGIO. ¹⁾

Porro tale privilegium habetur: a) *ex iure ipso* quoad oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum, sive residentialium sive titularium; haec enim, licet privata, fruuntur omnibus iuribus et privilegiis, quibus oratoria semi-publica gaudent. (can. 1189.)

Imo, ubicumque a Cardinalibus vel Episcopis, etiam mere titularibus, vel in eorum commodum Missa celebratur, etiam in altari portatili, praecepto satisfieri potest. Hoc satis sequitur e responso S. R. C. 8 Iunii 1896 (n. 3906), ubi de Episcopo ita respondetur; et ex eo quod Cardinales et Episcopi ubique sibi oratoria privata erigere valent. Cfr. Vermeersch. *Ep. Iuris* II. n. 563; Prümmer. II. n. 484.

b) *ex indulto Sedis Apostolicae*, quo permittitur celebratio Missae in oratorio privato; ex tenore talis indulti patet *quinam ibi praecepto satisfacere possint*. Etiam Missae inserviens,

¹⁾ Nihilominus aliqui distinguunt inter praeceptum *primarium audiendi Missam*, et *secundarium audiendi Missam in tali loco*, ita ut si quis in loco legitimo Missam audire non posset, posset vero in loco lege non agnito, ad hoc teneretur. Certo *debet* in talibus adiunctis Missam audire in loco lege non agnito, etiamsi privilegium desit. Ceterum, attento iure veteri iuxta Bouscaeren in *Period.* 1939. p. 58. probabiliter satisfieri potest praecepto si Missa audiatur in oratorio privato quidem, sed non ratione indulti apostolici (de quo unice codex hic ageret) sed ratione licentiae per modum actus ab Ordinario ad normam can. 1194 vel 1195. § 2 datae. De Missae celebr. in oratorio privato cfr. adhuc Berutti in *Ius Pont.* 1939. p. 31.

sicut ipse celebrans, ibi satisfacere videtur. Cfr. Vermeersch. III. n. 859. Quoad obligationem *utendi* privilegio, cfr. supra n. 215.

Privilegium vero *altarum portabilium* (vi cuius, secundum can. 822. § 3, facultas habetur ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco et supra petram sacram, non autem in mari), si in tali altari extra loca supra enumerata celebretur, eatenus tantum efficit quod assistentes Missae praecepto satisfaciant, quatenus id in privilegio exprimitur vel ex scopo eius patet, ut in terris Missionum obtinere potest.

Etiam privilegium celebrandi *in mari* (de quo cfr. tom. II. n. 233) *qua tale* non facit assistentiam Missae canonice validam; nisi iterum ex tenore vel scopo privilegii (cappellani navis v. g.) liquet contrarium vel dicere velis celebrationem in mari moraliter aequivalere celebrationi *sub dio* (ita Vermeersch. *Ep. Iuris Can.* II. n. 563), id quod verissimum videtur si in ipso navis constrato celebretur. Secus canonice valide solummodo assistitur in cappella publica vel semi-publica navis vel si Cardinalis vel Episcopus celebret vel in eius commodum celebretur, iuxta supra dicta. Nihilominus fideles pro adiunctis magnopere exhortandi sunt ut assistant, etsi praecepto *ecclesiastico* satisfacere non possunt; praesertim si in loco digniori, ut in aula navis, Missa celebretur, idque tum quo melius obligationi Deum aliquo tempore specialiter colendi satisfaciant, tum ut aliis bono exemplo praecant. Cfr. *N. K. St.* 1927. p. 260.

Articulus II.

Causae excusantes omissionem Missae.

Quinque causae eiusmodi allegari solent, scil. dispensatio, impotentia, caritas, officium et consuetudo: quae tamen facile ad tres revocantur, scil. dispensationem, impotentiam et consuetudinem, quum caritas et officium ad impotentiam reducantur.

529. — I. **Dispensatio.** Pro dispensatione in Missae audiendae praecepto eadem valent quae dicta sunt de dispensatione in lege opera quaedam prohibente. Cfr. supra n. 511; can. 1245. § 1 et 3.

Id unum advertas, iustam causam ob quam quis *regulariter* dispensetur ab auditione Missae non ita facile adesse; quum urgeat tandem praeceptum divinum naturale aliquod tempus cultui divino tribuendi, imo praeceptum divinum positivum aliquoties saltem sacrificio Missae assistendi. Quapropter eo saltem in casu quaedam commutatio, ut Missa tempore feriali audienda, addatur. Similia applies mox dicendis de variis impotentiae casibus. Cfr. Lehmkühl. I. n. 724.

530. — II. **Impotentia,** tum physica, tum moralis, i. e. quaevis causa sat gravis ut contineat notabile aliquod incommodum aut damnum, spirituale vel corporale, proprium vel alienum. (n. 324. H. A. n. 39.)

Hinc excusantur: 1^o *Incarcerati, navigantes in mari;* item *excommunicati et interditi.* Hi tamen probabilius tenentur, cum primum commode possunt, absolutionem petere: quia quisque tenetur cum levi incommodo impedimenta tollere, ut gravi praecepto satisfaciat. (n. 325.)

Notes excusari etiam excommunicatum toleratum, etsi opinio probabilis docet eum hodieum, saltem ante sententiam, licite iam assistere posse Missae

sacrificio. Etsi enim assistendo non peccat, caret tamen *iure* assistendi; quo iure sublato absonum videtur obligationem assistendi adstruere ex eodem iure ecclesiastico quod ei ius assistendi aufert. Per accidens tamen potest oriri obligatio assistendi pro excommunicato occulto, ad vitandum scandalum. Cfr. infra *tom.* II. n. 1002.

2° *Infirmi et convalescentes*, qui prudenter sibi timent notabile gravamen si domo exeant ut templum petant. (n. 325.)

In dubio num incommodum satis grave sit, infirmus potest iudicio medici, parochi, Superioris aut viri prudentis acquiescere et etiam proprio, si potest ipse prudenter iudicare. Quodsi, consilio petito, maneat dubium, infirmus excusatur; quia stante periculo gravis damni praevalet ius naturale conservandi salutem. (n. 325. H. A. n. 39.)

3° *Longe distantes ab ecclesia*; regulariter excusat iter pedestre unam leucam excedens, puta iter quinque quadrantium; minus vero, si pluvia, nix aut tempestas ingrueret. Porro semper attendenda est qualitas personae. (n. 329. H. A. n. 41.)

Non autem excusat distantia eadem illum cui prostat modus *vehendi* ipsi omnino ordinarius; eo in casu tunc tantum excusatur, si, etiam adhibito illo medio sibi ordinario (curru proprio, bicicletta, curru publico), distantia nimia esse videretur. Cfr. Lehmkuhl. I. n. 723. Noldin. n. 263. Vermeersch. III. n. 861.

4° *Laborantes in conflatoriis et similibus officinis*, ubi opus incoeptum deserere nequeunt, nec habent alios, quos sibi substituant.

5° *Ob iacturam honoris* viri aut feminae honestae si careant vestibus decentibus secundum statum suum; item feminae, quae honestae putantur, si ex delicto praegnantae sunt, nec possunt lapsum suum occultare, nisi domi manendo. Non tamen excusantur, si possint sine timore infamiae Missam audire summo mane aut in ecclesia remota. (n. 330.)

6° Qui *iter necessarium* facere debet, vel qui longum iter continuat et, utendo via ferrea, opportunitate Missae assistendi caret.

An excuset iactura notabilis lucri, recole dicta n. 519.

531. — III. *Caritas proximi*, ut quis nempe illi subveniat in necessitate aut ne damnum spirituale illi afferat.

Hac ratione excusantur: 1° *Assistentes infirmis*, ut remedia et cibum tempore opportuno illis ministrent, aut ne solos illos relinquunt cum notabili eorum molestia. (n. 326.)

2° Qui opem ferunt in casu *incendii* aut *alluvionis*.

3° Qui spem habent fore ut praesentia sua graves rixas, furta, actus turpes, aliave *peccata impediunt*. (n. 327. 332.)

532. — IV. *Officium* quod exercetur, aut quo obedientia alteri debetur.

Hoc titulo excusantur: 1° *Milites* excubias agentes; *custodes* gregum, qui gregem relinquere non possunt.

2° *Matres et nutrices*, quae parvulos nec solos relinquere, nec sine adstantium perturbatione secum ferre ad ecclesiam possunt. Intellige tamen, modo neminem sibi substituere possint.

Si domus vel parvuli custodiendi sunt et plures celebrantur Missae, duo coniuges debent successive assistere: si una tantum Missa dicitur, debent alternatim eam audire; et ita quoque facere convenit, si famulam habent. (n. 326.)

3° *Famuli*, si ob necessarium ministerium impediuntur; attamen si adhibita mediocri diligentia, puta diluculo surgendo, possint Missam audire, ad hoc tenentur. Si vero sine necessitate, ex sola domini malitia prohibeantur, obedire poterunt, si ex inobedientia grave timeant incommodum, nempe gravem indignationem aut dimissionem; ob levem domini molestiam non excusantur, sed eam patienter ferre debent. Quod si frequenter accidat, tenentur, nacti opportunitatem, dominum deserere. (n. 327.) Idem resolve de quibuscumque operariis.

4° *Uxores et filii familias*, quibus timenda esset gravis indignatio mariti vel parentum; *militis*, qui ob auditionem Missae ducum suorum vexationi, aut comilitonum ludibriis valde molestis obnoxii forent. Tenentur tamen, sicut famuli, quantum possunt, mediocrem diligentiam adhibere, ne Missam omittant. (n. 327.)

533. — V. *Consuetudo*, ubi legitime viget, in nonnullis casibus et pro brevi tempore excusat.

Ideo multis in locis excusantur: 1° *Puerperae*, quae per mensem vel sex hebdomades post partum domi se continent, etiamsi convalescerint.

2° *Viduae*, quae post mortem mariti per mensem domo manent.

Istae sub ea conditione excusantur, ut revera domi se contineant, neque aliis de causis in publicum egrediantur.

3° *Sponsae*, quae Missae non interveniunt intra quam earum nuptiae proclamantur; dummodo opportunitas alii Missae assistendi deficiat. (n. 330.)